



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

**Parisiis, 1644**

Concilium Anglicum Apud Gaintington De Crvce Capienda, & decimis  
Saladinis regi soluendis, celebratum anno Domini MCLXXXVIII. tempore  
Clementis papae III.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15974**

CONCILIVM ANGLICVM

APVD GAINTINGTON DE CRVCE CAPIENDA,  
& decimis Saladinis regi soluendis, celebratum an-  
no Domini M C L X X X V I I . tempore Clementis pa-  
pæ III.

ANNO  
CHRISTI  
1188.

N O T A.

\* Concilium. ] De rebus in hac Synodo gestis ista Rogerus : Domi-  
nus vero rex, statim postquam in Angliam applicuit, magnum congre-  
gauit Concilium episcoporum, abbatum, comitum, & baronum, & alio-  
rum multorum tam clericorum quam laicorum apud Gaintington: ubi  
in publica audientia recitari fecit omnia supradicta capitula, que con-  
stituerat de cruce capienda. Quibus recitatis, Balduinus Cantuariensis  
archiepiscopus, & Gilbertus Roffensis episcopus vicarius eius, mirifice  
predicauerunt illo die coram rege & principibus suis verbum Domi-  
ni, & salutifera crucis mysterium. Ad quorum predicationem multi  
tam clerici quam laici crucem acceperunt.

Et tunc dominus rex misit seruientes suos clericos & laicos per singu-  
los comitatus Anglie ad decimas colligendas secundum predictam preor-  
derationem, in terris suis transmarinis constitutam. sed de singulis ur-  
bibus totius Anglia fecit eligi omnes ditiones, videlicet de Londonia  
200. & de Eboraco 100. & de aliis urbibus secundum quantitatem &  
numerum eorum, & fecit omnes sibi praesentari diebus & locis statutis,  
de quibus cepit decimam mobilium suorum secundum estimationem vi-  
rorum fidelium qui nouerant redditus & mobilia eorum. Si quos autem  
inuenisset rebelles, statim fecit eos incarcерari, & in vinculis teneri, do-  
nec ultimum quadrantem perfoluerent. Similiter fecit de Iudeis terra  
sue, unde inestimabilem sibi acquisiuit pecuniam. Deinde misit Hugo-  
nem Dunelmensem episcopum, & alios clericos & laicos, ad Vvilelmum  
regem Scotorum pro decimis colligendis in terra sua. Quo auditio, rex  
Scotie occurrit eis inter Vverc & Brigbeam in Loenaz: & non permit-  
tens eos terram suam pro decimis colligendis intrare, obtulit se daturum  
domino suo regi Anglie quinque millia marcarum argenti pro supra-  
dictis decimis, & pro castellis suis rehabetis; sed rex Anglia facere  
noluit.